Addenda nova ad Lichenographiam europaeam. Continuatio duodecima. — Scripsit W. Nylander.

1. *Calicium adaequatum* Nyl.

Subsimile *Calicio curto* Borr., sed stipite pallescente vel pallido. Sporae longit. 0,007—0,010 millim., crassit. 0,004—6 millim.

Ad corticem alni in Lapponia meridionali, Turtola, socium *Calicii byssacei* Fr., legit J. P. Norrlin (1867).

2. *Lecanora rhagadiella* Nyl.

Thallus albus subopacus inaequalis (crassit. 0,5—1,5 millim.), rimosus et rimulosus, ambitu nigricanti-limitatus; apothecia nigra nuda urceolariiformia innata circumscissa, varie angulosa (latit. 0,5—1,5 millim.), margine proprio attenuato praedita, margine thallino parum distincto; sporae 8nae incolores ellipsoideae simplices, longit. 0,017—21 millim., crassit. 0,009—0,014 millim., thalamium superum subcoerulescenti-fuscescens, paraphyses gracilescentes vel fere mediocres. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, deinde nonnihil vinose rubescens.

Lapponia, Kilpisjoki, ad saxa granitica (Norrlin).

Thallus iodo bene violaceo-tingitur [1]) (ut in *Lecidea confluente* Ach.), qua nota haecce species mox differt a *Lecanora calcarea*. Spermogonia intus incoloria (conceptaculo parte immersa incolore); spermatia recta utrumque versus apicem fusiformia (vel solum apice altero fusiformia), longit. 0,008—0,010 millim., crassit. 0,001 millim.

3. *Lecidea atrorufella* Nyl.

Similis *Lecidea atrorufae* Ach. (et forsitan ejus varietas) thallo granuloso praesertim differens. Apothecia fusca convexiuscula immarginata (latit. 0,5—0,8 millim.) conferta, intus pallida basi nigricante. Sporae oblongae (longit. 0,014—17 millim., crassit. 0,006—7 millim.), paraphyses apice rufo-fuscescente. Jodo gelatina hymenialis coerulescens.

Supra terram in Lapponia, Pahtawaara (Norrlin).

Similis fere *L. rufofuscae* Anz., quae vero jam distinguitur apotheciis intus (etiam infra) totis pallidis.

---

1) Elementa thallina filamentosa tunc sub microscopio coerulescentia conspiciuntur.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03650-0411-5

4. *Lecidea vulpinaris* Nyl.

Thallus cinerascens vel ochraceus (fortasse hic color non typicus) tenuis subopacus continuus aut subleprosus, indeterminatus; apothecia fusca vel livido-fusca adnata convexiuscula immarginata (latit. 0,4—0,7 millim.), intus obscura; sporae 8nae incolores ellipsoideae simplices, longit. 0,009—0,012 millim., crassit. 0,004—6 millim., paraphyses non discretae, epithecium (vulgo) incolor, hypothecium medio crassiuscule luteo-fuscescens. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose rubens.

Lignicola in Lapponia infera, Alkula (Norrlin).

Arcte accedit ad *L. apochroeellam* Nyl. in Flora 1865, p. 6, cui est *L. vulpinaris* sat similis (etiam lamina tenui et reactione) et differt praesertim (quoad apothecia) sporis constanter turgidioribus, nec desunt aliae differentiae subtiliores.

5. *Lecidea spododes* Nyl.

Similis *Lecideae denigratae* Fr. (et forsan ejus varietas) apotheciis cinerascentibus vel sordide pallidis, sporis simplicibus (longit. 0,010—14 millim., crassit. 0,0025 millim., hydrate kalico affusae conspiciuntur tenuiter vel spurie 3-septatae). Gonidia diam. 0,004—6 millim.

Lignicola in Anglia, New Forest (Crombie).

6. *Lecidea deducta* Nyl.

Differt praesertim a *L. subturgidula* Nyl. in Flora 1868, p. 343, apotheciis nigricantibus (strato epitheciali, in lamina tenui, nullo albo). Thallus proprius non visus (obscurus gelatinosus facile alienus adest); sporae 8nae incolores (vel dilutissime subnigrescentes) ellipsoideae vel oblongae 3-septatae, longit. 0,010—13 millim., crassit. 0,0035—0,0045 millim., paraphyses non discretae, lamina tenuis apothecii rufescens (hypothecio medio obscuriore). Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose rubescens.

Lignicola in Anglia cum priore (Crombie).

7. *Lecidea submilliaria* Nyl.

Fere conveniens cum *L. sabuletorum* var. *milliaria* (Fr.), sed apotheciis sordide pallescentibus vel pallido-obscuratis aut nigricantibus, demum caesio-suffusis, intus albidis. Thallus parum evolutus nigricans (hypothalloideus). Sporae fusiformes 7-septatae, longit. 0,040—50 millim., crassit. 0,006—7 millim. (variantes

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03650-0412-1

minores 5—7-septatae, longit. 0,030—38, crassit. 0,006 millim.), epithecium lutescens, paraphyses non discretae, hypothecium incolor vel sublutescens. Jodo gelatina hymenialis coerulescens (praesertim thecae tinctae) et dein violaceo-obscurata.

Supra terram in Lapponia, pone Leutsowaara (Norrlin).

Forsitan specie differt a *L. sabuletorum*.

8. *Lecidea inferior* Nyl.

Thallus proprius nullus rite evolutus visus; apothecia atra mediocria (latit. 0,6—0,8 millim.), nonnihil marginata, dein convexiuscula immarginata, intus obscura; sporae 8nae incolores simplices ellipsoideae, longit. 0,017—23 millim., crassit. 0,009—0,011 millim., paraphyses non discretae, epithecium nigrescens, hypothecium nigrum. Jodo gelatina hymenialis intense coerulescens.

Ad saxa in Lapponia (Norrlin).

Adest huic quasi thallus tenuissimus nigricans opacus, sed spurius vel alienus videtur. Ex thalamio esset haec Lecidea propinqua *L. atroalbae* vel *petraeae*, sed sporae omnino et constanter simplices. Forma apotheciis subgyrosis ibi etiam occurrit.

9. *Lecidea praecavenda* Nyl.

Thallus obscurus, parum visibilis; apothecia nigra plana (vel concaviuscula) marginata (latit. circ. 0,3 millim.); sporae 8nae dilute-nigrescentes ellipsoideae 1-septatae, longit. 0,014—17 millim., crassit. 0,006—8 millim., epithecium obscure rubricoso-fuscum, paraphyses graciles, hypothecium nonnihil (intensius supra) rubricoso-rufescens. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, deinde vinose rubens.

Ad lignum in Anglia, New Forest (Crombie).

Differt a *L. myriocarpa* (DC.) jam paraphysibus tenuibus, nec apice clavatis, et reactione hymeniali alia.

10. *Odontotrema anodontum* Nyl.

Simile fere *O. subintegro* Nyl. in Flora 1867, p. 372, sed dignoscitur jam sporis ellipsoideis 3—5-septatis (demumque accedente septulo saltem 1 sensu longitudinali interducto) majoribus (longit. 0,014—18 millim., crassit. 0,005—8 millim. Jodo gelatina hymenialis coerulescens (thecae apice coerulescentes).

Ad lignum juniperi in Lapponia, Kilpisjärvi (Norrlin).

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03650-0413-6

Apothecia erumpentia laeviuscula rotundata vel suboblonga, sensu longitudinali (secus fibras ligni) circiter 0,5 millim. Macula thallina alba.

11. *Odontotrema belonosporum* Nyl.

Simile *O. minori* Nyl., sed sporis acicularibus vel vermiformibus (fusiformi-acicularibus et vulgo nonnihil bis flexis), demum tenuiter 3-septatis (longit. 0,035—45 millim., crassit. 0,002—3 millim.). Jodo gelatina hymenialis dilutiuscule coerulescens (dein vulgo luteo-violacee tincta).

Ad ramulos denudatos pini in Lapponia prope Jerisjärvi (Norrlin).

12. *Verrucaria sphenospora* Nyl.

Thallus macula indeterminata vel diffusa cinerascente indicatus; apothecia convexiuscula perithecio dimidiatim nigro (latit. 0,10—0,15 millim.); sporae 8—16nae incolores fusiformes 1-septatae, longit. 0,015—22 millim., crassit. 0,0030—0,0035 millim., vulgo curvulae (inde vermiculiformes). Jodo gelatina hymenialis non tincta.

Ad ramos populi in Lapponia, Alkula (Norrlin).

Est quasi intermedia inter *Verrucariam epidermidis* (Ach.) et *V. oxysporam* Nyl. Paraphyses parcae, parum evolutae. Hydrate kalico et Ammoniaco septum sporarum obsoletum evadit vel evanescens; qui effectus omnino est peculiaris et recedens.

Pterygium pannariellum Nyl. lectum fuit apotheciis in Lapponia a Norrlin. Sunt ea apothecia sicut in *Pannaria nigra* (Huds.), sporis 3-septatis (longit. 0,015—16 millim., crassit. 0,006—7 millim.); thecae iodo intense coerulescentes.

Nephroma expallidum Nyl. cephalodiis amphigenis (pyrenodeis simul superis et inferis), in utraque pagina mastoideo-prominulis (latit. fere 1 millim.), legit in Dovre Zetterstedt.

Lecanora sarcopis (Whlnb.) specie et quidem affinitate distat a *L. varia*, nam spermatia habet oblonga curvula (longit. 0,007—8 millim., crassit. 0,002 millim.).

Lecanora roboris Duf. est ob reactionem thalli hydrate kalico flaventem species vere distincta a *L. sophode* Ach., et ob eandem causam *L. firma* (Nyl. Lich. Scandin. p. 150) specie differt a

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03650-0414-2

L. sophode [1]). *R. metabolica* Anz. Langob. no. 377, specim. ad *Pinum piceam* [2]), pertineat ad *L. roboris*. — *Lecidea sagedioides* Nyl. l. c. p. 239 est forma *Lecanorae nimbosae* (Fr.).

Lecanora alpina Smmrf. differt a *L. cinerea* (L.) Nyl. Lich. Lapp. or. p. 136 thallo (praesertim medulla) iodo violascente [3]) et spermatiis breviusculis (longit. 0,004—6 millim., crassit. 0,001 millim.). Reactio kalica corticalis (ut in *L. cinerea*) e flavo ferrugineo-rubens. Huc pertinet *cinereo-rufescens* var. *macrocarpa* Anz. Symb. p. 9. — *L. Myrini* (Fr.), thallo (iisdem reactionibus kalica et iodica gaudente) lutescente apotheciisque magis vel melius lecanorinis differens, forsitan sistat propriam speciem distinctam a *L. alpina*.

Lecidea stenospora (Hepp Flecht. no. 516) specie differt, sicut quoque hic criterio chemico vidi, a *L. bacillifera* (data in Nyl. Lich. Paris. no. 136), quacum illam antea perperam subjunxi tamquam formam apotheciis minoribus convexulis etc. Ad *L. stenosporae* varr. pertinent *L. bacillifera* f. *subpallens* Nyl. Lapp. or. p. 154 et *L. poliaena* Nyl. Lich. Scandin. p. 210, haecce non confundenda cum *L. arceutina* f. *hemipolia* Nyl. Optima nota *L. stenosporae* praebetur reactione epithecii subnigrescentis vel fuscescentis aut subincoloris orceinica, nam addito hydrate kalico mox inde gelatina hymenialis violacee perfunditur. [4]) In *L. bacillifera* mea epithecium coerulescens hydrate kalico vix mutatur nullamque offert reactionem orceini; in herbariis variis eadem jamdudum nominata est *L. bacillifera* f. *abbrevians* Nyl.

---

1) In *Lecanora firma:* thallus albidus (varians albido-pallescens vel albido-flavescens) vel albus cartilagineo-firmus, verrucoso-granulatus vel verrucoso-inaequalis, mediocris; apothecia nigra mediocria latit. circiter 1 millim.), margine thallino integro cincta; sporae longit. 0,015—23 millim., crassit. 0,006—0,011 millim. — Saxicola. Facie est *L. subfuscae* f. *cotlocarpae* Ach.

2) Non specimen, sub eodem numero 377 datum ad corticem *Laricis* et quod pertinet ad *Lecanoram sophodem* var. *exiguam* (Ach.).

3) Sic etiam ex. gr. *Lecidea atrobrunnea* (DC.) mox dignoscitur medulla ope solutionis iodi violaceo-tincta ab affini *L. fusco-atra* Ach., cujus medulla iodo non tingitur.

4) In *Lecanora diphye* Nyl. epithecium fuscum reactionem orceini etiam insigniorem pulchre violaceam ostendit et characterem elegantissimum speciei exhibet.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03650-0415-8

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1869

Band/Volume: 52

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: Addenda nova ad Lichenographiam europaeam 409-413